




mYc


802







Rés.
m. Yc. 802





Jo. Salmonii Pla-

terni Lodunatis de Christi superbenedicti asser-
toris nostri morte εφοδιον. Cui addit Ele-
gia de poetices abusu.

¶ Item duo hymni de Virgine dei genitrice.

¶ Petri bouherii ad pium Lectorem Carmen.

Lector amas Christum? Christi cognosse laborem:

Et cupis excellē fata inhonesta crucis?

Quod tibi aquitanus claudio Salmonius orsu

Nuper limauit perbreue carmen habe.

Illic euolues iudē commercia/nummos

Triginta/clauos/spinea ferra/crucem.

Et quod dira cohors felle inspurcauit acetum/

Testamenta/latus vulneribus lacerum.

Prætereunda tibi sunt hoc sacra tempora spectro:

Incola stellari sic potes esse poli.

¶ Prostant emunda hæc et pia poemata in Ioan-
nis gormontii bibliopolę Libraria e regione gym-
nasii coquerettici.

¶ Virtutem amplectere Lector

¶ Ad generosissimum virum Ioannem Demo-
linum secretariū Regium necnon summi cōsiliū
grāmateū Ioannis Salmoniū Martini Epistola.

MAlerius Martialis inter classarios scripto-
res nō postremi noīs Demoline humanissime
author est. P. V. Maronem cum in ephebis a-
geret et romanorū ciuium prēsidiō careret culicem car-
mine idigesto/huīlco stilo/ore rudi defleuisse: s; postq̃
in Augusti. Moecenatis/Polliōis amicitia receptus est
et illorum donariis suffultus diuinam illam atq; omni
seculo venerabilez Aenēida felicissimo successu dedux-
isse. Quod eliminatissimū nostri epigrāmatarii iudi-
cium ipsa (vt inquit Plautus) verimonia verius vel hoc
æuum p̃probat. Nam cū tot doctorū ingenia elucescāt:
tantę studiosorū literę effulgent. rari tñ (quę est hoīz
auaritia) qui sese mēcenates illis exhibeāt. At tu non es
in hoc albo Demoline inter eruditos munificentissime
inter munificos eruditissimē/qui ingenia consopita et
veterno prope obruta tuis largitionibus excitas/incen-
dis/extimulas. qui me clancularium adhuc scriptorez et
nihil fere cōmerciū cum musis habentem epistola huma-
nissima adhortatus es vt aliquid ederem nec iuuentę
dies per incuriā effluere sinerez. Proinde admonitione
tantiviri factus vegetior hisce diebus εφοδιον. i. viaticū
de moestissima Christi morte properanter concinnaui.
Eius nūcupaturam sereno vultu accipies boniq; psules
donec maiora sub tuo noīe in lucem prodeant. Vale et
Salmonium tuum semper deama. Parrhisiis Ex ædibus
Cardinalitiis.

CIo. Salmonii ⁷¹Materni Lodunatis de Christi
superbenedicti seruatoris nostri morte
εφοΔιορ.

Quæliaras hominum mentes: expertia veri
Corda dei & multis obtenebrata malis:
Hæccine viuendi lex est: hæc semita q̄ nos

Felices superam ducat adusq; domum:
Mœsta salutiferi nunc instant funera Christi
Non nisi cum lachrymis excipienda piis.
Attamen hic pharetra lunato instructus & arcu
Ducit odorisequos per iuga summa canes.
Hic geniale sonans cantus effundit amœnos:

Lusitat: & teneris inuigilat choreis.
Hic calamistrato tumet auratoq; capillo
Ac regit ostrina putrida membra toga.
Alter hebet lustris: cæcoq; cupidine merfus
Cantat amasiolę pessima quæq; suę.
Sunt qui prætereunt vetito sacra tempora ludo
Quosq; iuuat multo dimaduiffe mero.

Consuetas alii nugas & scommata iactant:
Tempora cum querulis sint magis apta sonis.
Plurima in attalico matrona incedit amictu

Nec quit ab optata demere mundicia.
Hæc stibio cilium linir: hæc stacte illita fragrat:
Et cerussatas prodir inuncta genas.

Huius marmoreo pendet murenula collo
Cernitur huic coo nuda mamilla sinu.
Rubra hæc fasciola fuluoq; interligat auro
Germanaq; lauat dexteritate comam.
Deficiet me lux si prosequar omnia quæ nunc
Regnant effusos crimina per populos.
Quid faciet xanthi & septemPLICIS accola nili:
Pactoli aurifera quiq; opulescit aqua?
Cum populus domini lustratus stigmate Christi
Non dubitet phrygia viuere nequitia.
Et sybaris sequier luxus: madidq; Tarenti:
Sardanapaliacis et cubitare thoris.
Ah saltem differte nephas dum moesta ppinquant
Tempora iudeq; conscia sequitiq;
Flete omnes: pugnis lacerate & plangite pectus
Impleat & tristes lachryma multa sinus.
Impexam nutrite comam: promittite barban:
Corpora sint nigro palliolata sago.
Clarifona nobis phas singultire querela
Et cinere immundo spargere cesariem:
Vnica nam summi Christus sapientia patris
Quem genitrix partu non temerata tulit.
Aerumnas post multiuigas durosq; labores
Atq; inculpatq; dogmata militiq;
Factaq; in hebreis noua post miracula terris

Et b'ando accitos fame discipulos.
Aspera Idumęę tulit heu ludibria gentis
Probraq; concordem vix habitura fidem.
Cedere debueras illum gens perfida qui te
Deserto ambrosiis nutriit ante fauis?
Qui tibi purpureum siccescere fecerat equor:
Merferat audaces & pharaonis equos.
Qui prius illimos fonteis donarat aquarum
Strauerat hostiles & tibi sepe manus.
Fudit vbi assyrio peccatrix tempora nardo
Lauit & vnguentis Christon odoriferis.
Indoluit Scarioth tacitaq; efferbuit ira
Consueti reputans damna latrocinii.
Lucri sacra fames iratum attraxit in urbem
Hostibus & dulcem vendere fecit herum.
Institor infelix: qui perdelire dedisti
Contentus paucis tanta nomismatibus?
Nescisti qualem vendebas improbe mercem
Atq; ideo emptores impoſuere tibi.
Cur voto exponis populis vel emacibus illum?
Taxasti modica cur ve pecuniola:
Quem nequit astriferi spacium comprehendere cęli
Nec sementiferi machina tota soli.
Quem tremat ira iouis stygii/tenebręq;/chaosq;
Qui iacit ardenti tela trisulca manu.

Est sacer et multo vestitus gramine cliuus
Attica cui clarum nomen oliua dedit.
Illuc a cœna fati certissimus ibat
Vt solitas sancto redderet ore preces.
Oblipto capite & curuato poplite terram
Respiciens patri triste ter ingemuit.
Ora cruorisque rorabant flammea guttę:
Et turbata graui mens in agone fuit.
Nocte sub illuni tenebris claudentibus orbem
Prodiit in regem plebs galeata suum.
Agmina deducit scarioth: laterna malignam
Plurima suffuso mitigat igne viam.
Obuius exiuit Christus: nodanda capistro
Colla dedit: geminas funiculisque manus.
Sydeream obtundunt faciem/plagisque cruentant/
Verberitant crassis tergora stipitibus.
Cæsariem trahit hic: duro alter vulnere malam
Fœdat & immundo polluit ora luto.
Qualis ubi aerio tractu volat idalis ales
Anxia qui nidos educet inuolucres.
Accipitres pauidam si conspexere: repente
Præda fit & celsim dilacerata cadit.
Impete turbati comites tantoque tumultu
Ignaua Christum deseruere fuga.
Solutus Ioannes sequitur qui denique captus

Exuta pernix syndone terga dedit.
Pontificis soter mox sistitur ante tribunal
Passurus solyme iurgia spurcitia.
Tunc deus: rogat antistes: quem carmina vatam
Quem veteres patrum praeinuerunt chori:
Vaticinus plectro quem rex promissit eburno
Praefaga. enucleans abdita fata lyra:
Pelle animis scrupum: nec nos suspende tacendo:
Talia cui blando famine Christus ait.
Ille ego sum caïpha patrio qui lapsus olympo
Ut traherem vestros de phlegetonte patres.
Sed nec credentur mea regna: nec elucescent:
Vos peragam summo donec in orbe reos.
Percitus antistes tum vociferatur acerbum:
Et secat insana lina togamque manu.
Quid torpemus adhuc dubiaque ambage tenemur:
Aethereum sese sustinet esse deum.
Horrendum facinus nulloque piabile letho:
Oprobra iudeo non patiunda viro.
Num meruit centum totidem si funera posset:
Supplicium aut si quod crudius esse potest:
Assensere phalanx atque etiam xere silentem
Inque sacrosanctum perfurere caput.
Ut lassata manus crebris concussibus/illum
Turpis aqualiculi constituere cauo:

Donec puniceo collustrans lumine mundum
Phœbus ab eo surgeret Oceano.
Tunc lacerum plagis summa ad prætoria trudent
Cenosa et presso per sola crine trahunt.
Penituit iudam: preciumq; abiicit: at inde
Exitium infelix spes procul acta dedit.
Infamem aptauit laqueum ceruicibus illi
Viscera funestis concrepuere modis.
Accusant proceres Christum quod pectora plebis
Subuertat: solymum quod petat imperium.
Quod vetet Aeneadis ne vectigalia soluant
Cæsaream & nullo ducat honore domum.
Sidonios aiunt per agros galilæaq; rura
Impleuit magicis cuncta veneficiis.
Gramine seu tacito / vafro seu demonis astu /
Siue citeïno carmine mira facit.
Inuidiam procerum iudex odiumq; sciebat
Atq; intestinis pectora plena dolis.
Quocirca cupiens insontem exoluere Christum
Misit ad herodem qui galileus erat.
Fit contemptibilis necnon illuditur illic
Et tegitur niuea membra beata toga.
Congrua sunt sancto data vestimenta pudori
Aptaq; candidulis moribus illa chlamys.
Non semel enisus Christum defendere præses

Ac patrocínio protegere ipse suo.
Pro domino celi petitur sicarius: instant
Innocuo et procures fata cruenta rogant.
Nuda tacens crasse vincitur membra columnę
Cedenda impuro membra satellitio.
Hamatis feriunt pro terga tenerrima loris
Inq; vicem perstant dilaniare cutem.
Virgineum obruitur corpus/plagisq; fatiscit/
Sanguinis influxu tota rubescit humus.
Fessi carnifices trabea sidonide Christum
Conuelant: tremulamq; ornat arundo manum.
Vulnificę pressis spine sedere capillis.
Fluxit & innocuus sancta per ora cruor.
O toties clara radiorum umbrata corona
Cęsaries alto suspicienda throno:
O caput optandum terris: venerabile celis:
Diuitię mundi delicięq; poli.
Siccine tractaris plausuq; extolleris isto:
Expositum indignis pro caput opprobriis:
Nec satis inuidię solymorum iręq; litatum
Nulla licet sacra pars cute sana foret.
Confuso tandem turbatus murmure preces
Accepta palmas mundificauit aqua.
Stultus qui modicę roramine crederet vnde:
Vsq; adeo horrificum disperiisse nephas.



Non si carpathiæ Nereides omne dedissent
Aequor & oceani flumina tota senis.
Itur ad insignem caluarum nomine cliuum
Insanamq; geris Christe beate crucem.
Hæc prius arcana signarat fata figura
Patri ligna ferens in iuga summa puer,
Hic inter geminos procero in stipite fures
Et procul a summo tollitur ecce solo.
Festinate piæ gentes: spectate ferentem
Quina palestina vulnera fossa manu.
Brachia fatifero terebrata inuisite ferro
Traiectos cuneo suspicitote pedes.
Fraterea latus horrendo quod vulnere fossum
Sanguine stillantem diluuiavit aquam.
Quis lamenta mihi largosq; Simonidis imbres?
Quis dabit æternum collachrymare genas?
Quis dabit indignum testantia verba dolorem
Et quæcunq; cupit mens gemebunda loqui?
Ecquæ maior erit lachrymarum occasio: quando
Iustius in populos mota querela truces?
Huc elegi tristes lacere huc properate camœna.
Materiam vobis christica pœna dabit.
Huc pullis atrata sagis huc Nenia tendat.
Cupresso explicitas impediẽte comas.
Vndarum riuos oculi demittite: ploret

Omnis/nī rigido marmora corde ferat.
Virgine cum vidua mœstas licet edere voces
Certatim et querulos continuare sonos.
Heheu quam magno stringuntur corda dolore?
Quam trucibus gladiis virgo Sionis hiat:
Cum videt illesi dulcissima pondera ventris
Fata pati summo dedecorosa iugo.
Omnipotens nona decedens spiritus hora
Tartareę subiit limina tetra domus.
Et veteres miseratus auos e sedibus orci
Transiit in roseę lata vireta plagę.
Tertia surgebat croceis aurora capillis
Et tumulo victor prodiit ille leo.
Rerum Christe parens noxęq; assertor auisę
Accipe seruilis carmina pauca lyre.
Daq; salutarī famulum procedere cursu
Hac in peilaci dum peregrinor humo.
Sydereo tandem feliciter orbe fruisi
Et vultus illic vsq; videre tuos.
¶ De poetices abusu & virginis Marię laudib;
Ad Antonij Boherum Turconē domini
Thomę q̄storis Normanię filij Elegia.
H Aec cū pieris clarescant secula chartis
Induat et priscū lingua latīna iubar.
Cum sint eximii nulla non vrbe poetę

Qui fide smyrnæa dulce poema canant.
Illorum nugas tamen & deliria miror
Quæ non sanarint quattuor anticyræ.
Quippe hic cælitibus spretis fragmenta renarrat
Dorica: et euerfas laomedontis opes.
Bellonæq; truces iras martemq; frementem
Et quodcunq; nephas impius ensis agit.
Ille canit stellas necnon prælagia cæli
Fuderit et si quas imbricus auster aquas.
Quid ferus Orion gemini minitentur & hœdi
Arcturusq; minax Icarusq; canis.
Nec deest qui teneros numeris concinnet amores
Pro dolor et domine iurgia sua sua.
Flauicomos crines petum qui laudet ocellum
Atq; coloratis labra decora genis.
Ille supercilium celebrat uelcasq; papillas
Alter eburneolas sed sine fine manus.
Ista poetarum sunt oblectamina: q̃q̃
Christica purgata stigmata fronte gerant.
Quam melius si quem sententia digna moretur.
Si studium vero seruiat omne deo.
Sic pius arguto lusit Baptista canore
Carmelitani gloria rara chori.
Sic elegis / marcus dulciq; labellicus arte
In marię laudes nobile scripsit opus.

Scriptit opus gratum superis gratumq; tonanti
Frangere quod senium nec queat ira iouis.
Quisq; igitur mecum Marię preconia latus
Cantitet: & sacri scripta pudica thori.
Virginis æthereę mecum implorato fauorem
Antoni: et Mariam curua theatra sonent.
Illa secundabit cursus zephyrumq; fauentem
Porriget: hostiles subicietq; manus.
Illa dabit pacem: populos custodiet omnes
Scuta clientele qui petiere suę.

¶ ΤΕΛΟΣ.

¶ De dominica Incarnatione Ode
Asclepiadęa.



Laram parthenices cantet adoream
Quisquis purifico supposuit caput
Rorandum latici fassus olympicum
Fido pectore principem.
Hęc est festa dies qua gabriel sacro
Auspex virginei connubii polo
Descendens Marię transit in abdita
Legatus penetralia.
Turbata angelica voce iuuenula
Fudit purpureis ora ruboribus
Hinc scito meditans consilio rogat
Id qui confieri potest:

B iiii

Cum sit virginitas vota mihi deo
Nec hesura thoris sim genialibus:
Sonę perpetuis dotibus integrę

 Foetu an quibo grauescere?
Mox delenifico famine nuncius
Inquit ne timeas casta puellula
Felix foemineos inter eris choros

 Et Regina potens poli.
Dextrę subueniet lux paraceticę
Fundens sanctificis viscera roribus
Tunc tu concipies sed sine tactibus

 Virgo sancta virilibus.
Mox nympa alloquio credidit angeli
Isthec subiiciens ore modestulo:
Ecce ancilla dei mi velut asseris

 Fiat: morigeror libens.
Vix hec finierat virgo Syonias
Et iam alius supero turgida erat deo.
Cui seruit cybele/regia nereos/

 Quem cęleste solum colit.
Ergo pectoribus Christigenę piis
Gratemur grauidę: nec numeris modus
Nec sit leticię quin fide theia

 Templa & compita personent.
Iam vates lyricam promite barbyton

Et tinnite lyra et constrepite organis

Hymnos concinite extollite virginem

Concinnis modulatibus.

Externo niteant corpora serico

Splendescatq; noua virgo crocotula

Plaudamus leuium nec requies pedum/

Nec sit compositis choris.

Aulæata nouis spargite floribus

Testa et coricię messe crepidinis:

Hic ver assyrium atq; hic arabum seges

Largis fumet odoribus.

Iam proferte suis liba sacellulis

Decantate sacre cantica virgini

Cuius partus opes innumerabiles

Nobis attulit omnibus.

De purificatione virginis Marię

Ode saphica.



Væ meos pompę recreant ocellos:

Cur vię passim facibus coruscant:

Atq; aceruatim radiant coactis

Templa lucernis:

An Ceres terras iterum per omneis

Ignibus querit tacitis alumnam:

An nouę tada preęunte soluunt

Iura maritę:

Fallor: hic maior series honorum,
Et suo turtur geminus canistro
Murmurat: rauco gemitant fideles

Ore palumbes.

Suspitor diuinæ Mariæ decorem
Et sacram magni pueri figuram
Suspitor cassis Simeona palmis

Numen habentem.

O ter augustam quater atq; lucem
Qua dei mater nihil impedita
Sordibus passa est tamen expiari

More vetusto.

Februæ lucem celebret puellæ
Quisquis æternis operatus aris
Atq; sacrauit sua præpotenti

Pectora Christo.


Ferte iam sedas pueri facesq;
Oblitos cæra properate lychinos.
Ore cantantes Mariam canoro

Purificatam.

CFINIS.

¶ Iacobus Ruffulus ad pium Lectorem.
Accipe fallacis diuina viatica vitæ
Sic potes æthereum Lector adire larem.





1. *Chrysomelidae*

2. *Curculionidae*

3. *Chrysomelidae*

4. *Chrysomelidae*

5. *Chrysomelidae*

6. *Chrysomelidae*

7. *Chrysomelidae*

8. *Chrysomelidae*

9. *Chrysomelidae*

10. *Chrysomelidae*

11. *Chrysomelidae*

12. *Chrysomelidae*

13. *Chrysomelidae*

14. *Chrysomelidae*

15. *Chrysomelidae*

16. *Chrysomelidae*

17. *Chrysomelidae*

18. *Chrysomelidae*

19. *Chrysomelidae*

20. *Chrysomelidae*


21. *Chrysomelidae*


22. *Chrysomelidae*

23. *Chrysomelidae*

24. *Chrysomelidae*

25. *Chrysomelidae*





J. S A Y L M O N I U S

M A T E R N U S

D E C H R I S T I

M O R T U